cultatis Lipsienſis Judicia & Reſponſa in *Zittmanni Medicina Forenſi Cent. II. Caſ. 22. Cent. III. Caſ. 2. Cent. VI. Caſ.* 47., miſellorum horum ægrotorum Viſitatoribus, Curatoribus, eccleſiaſticis & politicis, Anatomiæ & Phyſiologiæ Medicæ ignaris, affatim oſtendunt, & ſatis hactenus à multis Illuſtribus Viris, Thomaſio in variis Scriptis, Johanne-Sam. Stryckio in Diſſert. de Jure Sabbathi, & de Reliqv. Sacramenti in Matrimonialibus, Hoffmanno in Diſput. de Potent. Diaboli in Corpora, Connor in Evangel. Medici Proœmio, Kulmo in Oneirologia, & Joh. Sperlingio in Inſtitut. Phyſic. Proœm. Quæſt. 4., ad easdem reſponſum eſt. Haud enim ſufficit blaterare, negare & deſtruere, ſed etiam meliora docere & probare; Id quod maximè Reverendo cuidam dictæ Societatis Membro occinuit Eccleſiæ quidam Miniſter non mediocris judicii, ſub *Chriſtiani Phyſici* nomine latens, im andern Anhange *p.* 21. Indubitatæ enim veritatis teſtimonium eſt, quod *Paulus* ſuppeditat *1. Corinth. XIII, 9.*, & *Syracides XIIX, 6.*, omnia, quæ ſcimus & cognoſcimus, ex parte tantum eſſe. Et tam ardua omnium ſcientiarum perfecta eſt cognitio, juxta *Tachenium in Hippocr. Chymico, capitis primi initio*, ut tota hominis vita citiùs deficiat, quàm vel unius diſciplinæ radicalem rationem, quæ diſputabilis non foret, ex libris tantùm chartaceis (non tamen temere rejiciendis) inveſtigare queamus. Tantum enim ſcit homo, quantum ipſi *operanda mente ac manu* certè innotuit. Unde Socrates, cum omnes fermè diſciplinas perſcrutatus, ſe nihil ſcire palam fateretur, tum demum ab Oraculo Sapientiſſimus omnium judicatus eſt. Quod etiam confirmat *Hippocrates* Noſter, dum *in Epiſtolis* & in *Aphor. I. Sect. I.*, pro unica ſaltem ſcientia, ex fundamento addiſcenda, vitam nimis brevem judicavit.

Utinam ergò deſiſteret ille Vir optimus, principiis Phyſicis experimentalibus, ſibi adhuc planè ignotis, obloqui, ſuperſtitioſam diaboli dignitatem aſſerere, nec non facta ipſius, quæ longo